



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Acutissimus obtutus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

MUSICÆ HOSTIS. CAP. XXXVIII.

Sunt qui Musis aversum ingenium omnemque Musicæ lepiditatem odio prosequantem, per Tigrim & tympanum pingant. Ajunt enim eam ita tympani sonum exhorrescere, ut eo audito miserabiliter insaniat, eoque furoris provehatur, ut semetipsam dentibus impetat, visceraque ipsa sua fœde dilaceret atque discerpant.



Lynx quid.

DE LYNCE. CAP. XXXIX.

Lyncem in Luporum genere plerique recensuerunt, eique Cervario cognomentum indidere. Sunt qui Lynces esse quas Græci *Ἰνῆες* vocant, arbitrentur. Sed enim *Ἰνῆες* ex hyæna & Lupo mixto genere nascuntur. Utcumque vero authores varient, Lynceum Plinius animal esse peregrinum & in Æthiopia frequens ait: Cervarios autem Lupos Septentrionalibus regionibus frequentissimos esse constat. Sed parum me moverat eandem speciem pluribus orbis locis inveniri: nam quæ vidimus in Cervario Lupo, ea in Lynce idemdem reperitur, acutissimus quippe obtutus, macularum in pelle varietas: unde apud Maronem, *Maculose tegmine Lynceis*, & quod omnium manifestissimum est signum, *Lyncurius lapis* ex concreta ejus animalis urina.

Antid. lib. 1.

ACUTISSIMUS OBTUTUS. CAP. XL.

Plin. id affectu lib. 8. c. 38. Sed hoc Dioscorides & Matthæolus fabulosum putant. lib. 2. c. 7.

Nonnulli igitur, cum Lynceum omnium quadrupedum clarissime cernere considerassent, hominem, qui visu maxime polleret, significaturi, animal id hieroglyphicum posuere. Sane multi eas affirmant convexa etiam montium visu penetrare: neque defuere Philosophi, qui fieri posse hoc commentati sunt ex imagine, quæ certo ab terra spatio summo in aere pendeat, quam Lynx, utpote que sit oculo admodum defæcato, intueatur. Cujus rei exemplum experimur, dejectum in cavum aliquod vas numo, quem, tametsi longe recesserimus, simulac vas aqua expletum fuerit, intuemur, fundo etiam ipsius vasis in aquæ superficie se ostentante: quippe rerum earum radiis in aqua summum sese exporrigentibus, ea ibi species redditur, quæ aqua inde subducta, vasculi curvitate interceptitur, ac ne videri possit præpeditur. Ab hac Lynce, Lynceos oculos appellatos, quibus cernendi vis acutissima sit, plerique putant. Unde magnæ vir eruditionis Franc. Petrarca, pætos illos oculos quos lyricis totiens laudibus extollit, Cervarios appellavit, ad id scilicet alludens, quod Lynceum ætas nostra Lupum cervariû arbitrat. Alii oculos lynceos à Lynceo Idæo fratre Argonautæ dictos autumant, qui ea quoque quæ sub terra condita essent spectare ferebatur. Poetæ plerique penetrante per lignum acie ab eo inspectum, atque ita conjecto in arborem pilo confossum interiectumque scribit. Fuit & alter Lynceus, qui Carthaginensium classem à Lilybæo Siciliae promontori portu Carthaginis exeuntem prospicere, & numerum cum fide recensere solitus, scriptorum testimonio fertur, de quo Horatius:

Lyncei oculi undæ.

Epist. lib. 1. epist. 1.

Non possis oculo quantum contendere Lynceus.

DE URSO. CAP. XLI.

Sed jam appellat Ursus, non injucunda fortasse, nisi oculi iam defessi sunt, spectacula præbiturus.

PROFECTUS CUM ÆTATE. CAP. XLII.

Ursæ factus quæ sit.

Hominem originis principio deformem, mox formosum effectum, sive cuius vita ineunte ætate dissolutior fuerit, nullaque ratione moderata, cum ætate tamen modus & disciplina sanctorum accreverit, Ægyptii sacerdotes intelligere cum vellent, Ursam factam pro hieroglyphico portare consueverunt. Compertum siquidem est, Ursam factam edere sine oculis, sine pilis, cruribusque propemodum & membris aliis indiscretum, informem denique carnem: Catto minorem, majorem Mure,